

*Hæc est voluntas ejus, qui misit me, &c. Item Apostolus  
Ephes. 1. v. 5. Coloss. 1. v. 25, 26, 27. 2. Timoth. 1. v. 9.*

Evangelica voluntas subdividitur.  
Voluntas Dei in se unica.

19. *Specialis DEI, & quidem Evangelica voluntas, ratione huius instituti subdividitur in Antecedentem & Consequentem.*

20. *Ratione instituti nostri, inquam, & πρὸς ἡμᾶς ita dividitur DEI voluntas: aliàs enim, ut ipse DEUS est ἁπλοῦς simplicissima, ita etiam voluntas eius in se est unica & simplicissima, quippe ipsa DEI essentia.*

21. *Est itaq; hæc non tam voluntatis DEI divisio, quàm duplex eius duntaxat consideratio, quæ ex diversis Sacræ scripturæ testimoniis desumitur, nempe quæ non tantùm testatur, quid de omnibus in universum Hominibus DEUS habuerit consilii, verùm etiam quid peculiariter decreverit de iis, qui consilio illi universali vel obsequantur, vel etiam repugnant. Ansam verò primùm præbuisse videtur Damascenus, qui l. 2. Orthod. fid. c. 29. in hæc definit verba: λέγεται τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα ἢ εὐδοκία, ἐξ αὐτῆς ὄν. τὸ δὲ δεύτερον ἐπόμενον θέλημα ἔστι παραχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας: Prima præcedens voluntas ἔστι acceptatio dicitur, quæ ex ipso DEO existit: secunda verò, voluntas sequens ἔστι permissio dicitur, quæ ex nostrâ causâ vel culpâ oritur.*

Voluntas Dei antecedens.

22. *Voluntas DEI antecedens, quæ etiam respectu consequentis Universalis dicitur, duplici modo consideranda est: 1. In essentiâ: 2. In suis fundamentis.*

Quid sit.

23. *Essentiam explicat definitio, quam cum Orthodoxis Ecclesiæ Doctores talem damus: Voluntas antecedens est de salute totius generis humani consilium, beneplacitum & decretum DEI æternum, quo DEUS NEMINEM præteriit, sed seriò, & constanter & ardentè cupit & expetit, ut omnes homines per fidem in CHRISTUM salventur.*

24. De